

quaestionibus, litibus et controversiis universis, quae vertuntur vel vertebantur seu quocunque modo occasione praemissorum verti possunt inter eos in hoc compromisso expressis et contentis vel non expressis concorditer compromiserunt et consenserunt de alto et basso in honorabiles viros dominos Johannem de Strelis archidiaconum Lusaciae et Ottonem de Doynyn [pro parte dictorum dominorum et capituli]^{a)} et Johannem de Droynitz supradictos et Nicolaum Ebirhardi decretorum doctorem officialem curiae episcopalis Misnensis [pro parte dicti domini episcopi]^{a)} electos, constitutos, assumptos et ordinatos communiter ab eis tamquam compromissarios, arbitratores, laudatores, diffinitores seu amicabile compositores sponte hoc arbitrium in se suscipientes, dantes et concedentes eisdem plenam et liberam potestatem, ut possint semel usque ad dominicam Reminiscere proxime venturam, quae est XXI. die mensis Februarii inclusive, omnia et singula praemissa de plano examinare, et si concordare nequiverint, terminum pronunciandi usque ad dominicam Oculi proxime sequentem, quae est ultima die mensis eiusdem inclusive, prorogare possent et per unum eorum aliis praesentibus pronunciare diffinire laudare arbitrari et praecipere, sicut eis videbitur terminare et ordinare semel et pluries coniunctim et divisim vel super aliquibus eorum ordinarie vel extraordinarie diebus feriatis et non feriatis, sedendo vel stando, in scriptis vel sine scriptis et alias qualitercunque, prout melius videbitur eisdem expedire, nullo praetermisso obstante, omni hora et loco, utraque parte absente vel utraque praesente vel altera praesente et altera absente, citata tamen, si contingeret arbitrium post praedictam dominicam Reminiscere prorogari, et quod possint semel et pluries et etiam quandocunque suum arbitrium dictum laudum praeceptum sive pronunciationem interpretari declarare corrigere et reformare, sicut ipsis videbitur expedire, et quod super poenae commissione et aliis ad poenam spectantibus et quibuscunque aliis iidem arbitri valeant quandocunque etiam lapso tempore compromissi cognoscere diffinire declarare arbitrari et praecipere. Promiserunt insuper supradicti domini sibi ad invicem pro se suisque concanonicis et successoribus per solempnem stipulationem stare, parere, obedire eorum laudo, dicto poenae arbitrio, pronunciationi, praecepto seu praeceptis per eos vel unum eorum de mandato reliquorum facto sive factis, et mox arbitrio, pronunciationi, praecepto seu praeceptis prolatis emologare et approbare, et in nullo contravenire quacunque ratione, causa seu modo, de iure vel de facto, verbo vel opere, per se vel per interpositas personas, quae vel quas inter eos super quocunque aut aliquo praemissorum seu eorum occasione dixerint, fecerint, pronunciarint, praeceperint vel fuerint arbitrati, et quod contra eorum praeceptum, laudum, pronunciationem seu arbitrium non appellabunt nec appellationem prosequentur, nullum rescriptum vel privilegium per se vel per alias personas impetrabunt nec impetratis utentur, nullam exceptionem opponent, restitutionem in integrum non petent nec illud corrigi seu emendari per superiorem vel aliquem iudicem petent, quodque non utentur cuiusque legis vel canonis, statuti vel consuetudinis beneficio, quod vitiet seu vitare vel infirmare valeat huiusmodi compromissum seu arbitrium in partem vel in totum, sive ex personis arbitratorum sive compromittentium sive ex forma compromissi vel

a) Die in eckige Klammern gestellten Worte sind am Rande von einer zweiten Hand mit Verweisung auf die betreffenden Stellen nachgetragen.